

librarium duobus exemplaribus simul usum esse) in episcopis 1. 5—12. 18—28. 30—32 ipsos numeros Liberianos vel certe vestigia eorum servavit.

*F* spatia Liberiana non habet exceptis duobus episcopis Anacleto in Indice omisso et Miltiade, cui quod Indicis exemplaria pleraque tribuunt spatium nudum a. IIII, huic epitomatori videtur displicuisse.

*AB* (cum *E* lectione altera) similiter a numeris Liberianis abstinere exceptis duobus episcopis Marcello in Indice omisso et aliquatenus Miltiade; scilicet in hoc *AE* ut epitome *F* retinent spatium Liberianum, *B* facit cum Indice.

Indicem e contrario Pontificalis sequitur in his:

1. In Cleto et Clemente ordinandis, ut supra vidimus, libri Pontificalis primus auctor Indicem secutus est, neque id mutaverunt qui eum postea recensuerunt.

2. Pium et Anicetum antea inverso ordine positos ad Indicem ordinavit recensio ea, a qua pendent libri *AB*.

3. Felix II. antipapa et propterea, ut diximus, eliminandus, sed nihilo minus in Indicem admissus inde in librum Pontificalem ab ipso eius auctore primo translatus est, cum exemplaria omnia tam epitomata quam plena eum habeant. Spatium cum exempla Indicis pleraque omittant, unum (n. 7) enuntiet a. VIII m. II d. VI ficticium omnino, hoc in Pontificali non reperitur, sed eius loco habent codices libri Pontificalis *KAB* a. I m. III d. II; *E* a. I m. II; *F* a. III, quae item commenticia esse apparet et ipsa adiecta ad hiatum explendum. Primus Pontificalis auctor utrum numeros eos posuerit quos habent libri *KAB* eosque in *EF* corruerint librarii an spatium ab ipso non adiectum diasceustae posteriores diversa ratione expleverint, non definio.

6. Spatia ad Indicem constituta reperiuntur haec:

*K* in episcopis 1. 7. 8. 9. 13. 15. 16. 20. 24. 25. 27. 28. 29. 32. 33. 34. 35. 36 numeros ad Indicem exhibet, sed ita, ut ubi exemplaria variant, sequatur fere familiam antiquiorem et plerumque puriorem (n. 7. 13. 15. 16. 24. 27). Contrarium raro evenit, ut in Pontiano (c. 19) Anterote (c. 20, ubi tamen cum *K* consentit fere Ind. 1)